

rem praeberes. Neque vero TE fugere potest, quam TE serena
 fronte hilarique ore exceperim, quum paucos post dies me adires, ut
 notum mihi faceres, cogitare TE de libello academico disceptandi
 caussa conscribendo. Certe mihi est iucundissima dubitationis TVAE
 recordatio, victoriaeque, quam mihi concederes, quum fluctuantem
 inter pietatem, qua tam me auctorem sequi consueisti, quam quod PA-
 TRI OPTIMO gratum intelligeres omni studio efficere, & modestiam,
 qua, ne quid arrogantius, aut inuidiosius susciperes, extimescebas &
 verebaris, animum TVVM ad perficiendum consilium confirmarem,
 quod & TIBI honorificum, & PATRI iucundum, & mihi multis
 nominibus suauissimum & acceptissimum intelligebam. Sed testor TE,
 OPTIME CRAMERE, fueritne serenior frons, lactiorque vultus,
 quo & hodie TE excipiebam libellum proprio marte a TE conscrip-
 tum, iam typis excludendum, mihi offerentem, & illum TE praesente
 perlustrans, perpaucam delibam, pauciora adiiciebam, non nulla
 immutabam, leuiora quidem ea omnia, omniaque TE ipso probante
 ita correcta, ut, quae hic legantur, plane TVA sint & manserint. Sed
 & publice hoc fide boni viri proficeri mearum duxi esse partium, ni-
 bil esse in hoc libello, quod mecum dici possit, ne argumenti quidem
 electionem, sed haec omnia TE TIBI iure TVO vindicare. In
 laudibus TVIS non multus ero. Quid enim laudibus TE efferam,
 quem scio omnibus bonis hic loci ita probari, & ubique peruerteris
 ita probandum esse, ut laude mea qualicunque non indiges. Sed
 OPTIMO PATRI, quem Deus & amet & seruat, Patriaque non va-
 num me scio augurem futurum, si cum TE praedicem, quem olim
 aliquando PATER senectutis habebit solatium, patria decus, docto-
 resque, inter quos me esse, nunquam me poenitebit, habebunt dulce
 ornamentum. Vale igitur MICRAMERE, nec absentem me animo
 TVO excidere patiare. Iterum vale. Scribeb. Kiliae Holsat. in
 museolo a. d. VIII. Aprilis. A. O. R. cccclxxxii.

